



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. IV. Quandonam absolutio a Censuris valeat pro foro externo?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

pedimentum, ut compareat; nam eo durante posset per epistolam comparere. Alii tamen cum Sayr., Navar. apud Leand. quaest. 21. affirmant; quia juxta regulam Juris, *Quod per alium facis, per te ipsum facere videris*; quamvis in percussione Clerici requiratur praesentatio personalis, quia sic exprimitur in jure.

Utrum autem, si possit per Epistolam comparere, aut per Procuratorem, ad id teneatur? Bonac. quaest. 3. punct. 2. affirmat, quia non est credibile, quod Papa velit ab Episcopo absolutionem impendi, quando haberi potest recursus ad ipsum per epistolam; ut dicitur, cum de impedimenti matrimonii. Sed verius negat Henr. lib. 12. cap. 3.; quia nemo tenetur uti privilegiis; est autem privilegium, quod possit censuratus per epistolam recurrere ad Pontificem pro absolutione, quando non potest personaliter comparere.

V. Queritur quarto; An qui ab inferiore absolvitur ad reincidentiam ob aliquod impedimentum legitimum a censura Papae reservata; ita ut nisi intra mensem parti satisfaciat, reincidat in censuram; si deinde ante terminum praefixum satisfaciat, teneatur adhuc se praesentare Papae?

Respondeo cum Leand. quaest. 20., Navar., & alijs contra Cordub., & Rodriq. negative; quia scilicet in tali casu cessat finis talis obligationis, quae imponitur in cap. *Eos qui*: In foro autem praesertim conscientiae magis attendendus est finis, quam verba praecipientis, ex cap. *penult.*, de regul. jur. in 6. finis autem comparandi Papae est, ut satisfaciat parti; ergo parte satisfacta non est amplius comparandum; praesupposita jam absolutione habita ab inferiore pro quando habebat talem facultatem. Quod si ad instantiam partis sit aliquis excommunicatus, & deinde parti satisfaciat,

non est liber a censura, donec absolvatur, ut supra diximus art. 1., quia ad tollendam censuram requiritur jurisdictionis.

#### ARTICULUS IV.

Quandonam absolutio a Censuris valeat pro foro externo?

- I. Num absolutio a censuris virtute Jubilaei, aut Privilegii collata valeat etiam pro foro externo?
- II. Si detur facultas absolvendi a censuris, Auditis confessionibus, vel pro foro conscientiae, non praerequiratur ad illam confessio Sacramentalis.
- III. Neque si dicatur dari facultas absolvendi pro foro poenitentiae.
- IV. Mendicantes privilegiati non debent absolvi a censuris reservatis, si probabiliter deducende sint ad forum judiciale, aut cum offensione Ordinariorum.

I. Queritur primo; An absolutio a censuris data vi Jubilaei, aut Bullae Cruciatæ, aut alterius privilegii valeat etiam pro foro fori?

Respondeo cum Suar. num. 21., Laym., & alijs communiter, quod quando in Bulla non exprimitur, quod absolutio concedatur tantum pro foro interiori, nec ex circumstantiis (puta ex materia subjecta, ex modo concessionis, aut ex antecedentibus, & consequentibus) id deducitur; tunc intelligatur concessa pro utroque foro. Ratio est, quia ex una parte beneficium Principis, seu gratia latissime interpretanda, ex leg. *Beneficium*, si de constitut. Principum; ex alia parte extensio absolutionis ad forum externum non est adeo specialis, & extraordinaria, ut non possit sub generali clausula comprehendi.

Quod si absolutio solum concedatur



tur pro foro interiori, tunc, ut notat Suar. num. 30. primo potest Ecclesiasticus Judex causam cognoscere, & imponere satisfactionem publico, & contentioso foro accommodatam, non obstante absolutione, & pœnitentia imposita in foro pœnitentiæ; Etenim diversus est finis utriusque fori; forum internum ordinatur ad bonum privatum Rei; at externum ordinatur ad bonum commune, atque ad exemplum, & emendationem aliorum; unde non potest impediri pœna publica ab emendatione, & pœnitentia privata delinquentis; nam hoc vergere posset in grave nocumentum Ecclesiæ. Secundo, post absolutionem datam pro foro interiori, debet etiam aut dari alia absolutio pro foro externo, aut eadem data pro foro interno debet declarari, & comprobari pro foro externo per attestationem confessorii, sive coram iudice, sive scripto; ad petitionem tamen pœnitentis, si intra Sacramentum absolutus fuerit.

Ex dictis sequitur, quod quando excommunicatio, verbi gratia, est occulta, & absolutio fuit data pro foro conscientia, excommunicatus est omnino liber a censura, & potest post absolutionem se gerere ut non excommunicatus; si vero excommunicatio fuit publica, vel fit publica post absolutionem datam in foro conscientia, eo quod ad forum iudiciale deducatur, ita ut confitetur de ea incurta; tunc etiam post absolutionem habitam in foro conscientia debet ille se gerere in actionibus externis ut excommunicatum, ad scandalum vitandum, & ne aliis pœnis subiaceat, quæ illi imponi possent ob actus exercitos cum censura præsumpta; Idque quousque publice constet de absolutione habita vel tempore Jubilæi, vel ab habente potestatem absolvendi ex aliquo privilegio; dummodo publice etiam ex-

hibita sit satisfactio, quæ parti danda est. Quod si censura non solum fit publica, sed etiam per Cedulae fit juridice nominatim denunciata, tunc debet pariter coram iudice probari absolutio habita in foro conscientia, ut ille declaretur absolutus; Quamvis, ut notat Suar. tom. 4. de Religion. lib. 9. cap. 2. Judex non teneatur admittere absolutionem datam in foro conscientia, nisi ex quadam æquitate; cum usus, & consuetudo ferat, quod iudex Ecclesiasticus non teneatur servare privilegium ullum in foro exteriori, nisi per ipsum privilegium ad id expresse compellatur.

II. Quæritur secundo; An quando datur facultas absolvendi aliquem a censuris, Auditis confessionibus, seu in foro conscientia, aut pœnitentiæ, ut concedi solet in Brevibus Apostolicis, & in Bulla Cruciatæ, tunc valida sit absolutio, si extra Sacramentum, non audita confessione, conferratur?

Respondeo affirmative cum Coninck Trullench, Bardi, Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 34., Dian. part. 3. tract. 2. resol. 20.; qui idem docet de dispensationibus super irregularitate, voto, juramento, &c. Ratio est, quia quando dicitur posse dari absolutio a censuris, audita confessione, non est sermo de confessione Sacramentali, seu in ordine ad absolutionem a peccatis, sed de confessione facta in ordine ad absolutionem a censura: Etenim confessio tam prærequiritur absolutioni Sacramentali, quam cuilibet absolutioni, aut sententiæ dandæ cum impositione pœnitentiæ proportionatæ tali absolutioni; prærequiritur tamen tali absolutioni confessio, sed non Sacramentalis; atque adeo extra Sacramentum dari potest absolutio a censuris, etiam in casu adducto. Et ratio a priori est; quia absolutio a censura non exigit ex natura sua confes-



fessionem Sacramentalem, nec ullam cum ea connexionem habet. Quod si delegari solet talis facultas Confessario, id ex eo est, quia confessarius in quantum talis videtur idoneus ad impertiendam talem absolutionem, non quia debeat in foro Sacramentali illam conferre; esto soleat in foro Sacramentali conferri. Idem dicas de aliis formulis; Nam dum conceditur facultas absolvendi aliquem a censuris pro foro conscientiae, sensus est, quod absolvi possit pro foro interno secreto, & privato, quod opponitur foro contentioso, & publico; non vero fit sensus, quod absolvi possit solum in foro Sacramentali; siquidem, ut diximus, absolutio a censuris nullam habet connexionem cum Sacramento.

III. Demum dum dicitur, posse quis absolvi pro foro poenitentiae, non est sensus, ut notat Lezana, quod absolvi tantum possit pro foro Sacramentalis poenitentiae, sed pro foro conscientiae, seu secreto, injungendo in conscientia poenitentiam, ut advertit Suar. num. 33.; Cum enim duplex detur poenitentia, una Sacramentalis, altera non Sacramentalis, non est cur forum poenitentiae arctari debeat ad poenitentiam Sacramentalem. Nihilominus Suarez disp. 7. de Censur. n. 36. Vasq. Nav. & alii censent, quod si facultas ad absolvendum a censuris auditis Confessionibus, seu pro foro poenitentiali detur, ut per ralem absolutionem disponatur reus ad absolutionem Sacramentalem, ut accidit in Jubilaeis, non debeat absolutio a censuris extra Sacramentum conferri; quod ipsa praxis confirmat.

IV. Advertit hic Laym. cap. 7. num. 7. Religiosos privilegiatos cavere debere, ne absolvant a reservatis casibus, & censuris notoriis, si ad forum judiciale deductae sunt, aut probabiliter deducendae putantur; ut in-

dicatur in compendio privilegiorum Societatis V. *Absolutio*, ubi dicitur; Caveant Superiores, ne in usu hujus facultatis Ordinarios offendant; & admoneant poenitentes, absolutionem a censuris, si quam impendent, nihil prodesse in foro exteriori.

## ARTICULUS V.

### De Requisitis ad absolutionem a Censuris.

- I. *In absolvente a censuris requiritur Clericatus.*
- II. *Num possit Laicus moribundum a censuris absolvere, deficiente Clerico?*
- III. *Num quilibet Clericus, aut saltem Diaconus, id possit in absentia Sacerdotis?*
- IV. *Censura per metum gravem extorta est valida; non tamen absolutio a censura.*
- V. *Si absolutio extorqueatur per dolum, & errorem circa causam finalem, est invalida; Secus vero si per errorem circa causam impulsivam.*
- VI. *In absolvendo nonnulla requiruntur, ut valida, nonnulla, ut licita sit absolutio.*
- VII. *Cur possit Superior secummet dispensare in votis, aut juramentis; sicut potest cum aliis; non possit tamen semetipsum a censuris absolvere eo pacto, quo potest alios?*
- VIII. *Absolutio regulariter requirit praesentiam absolvendi.*

I. **Q**uaritur primo; Quanam requirantur ex parte absolventis, ut licite absolutio conferatur? Respondeo, primo requiri (praeter jurisdictionem, circa quam nihil hic addendum) statum clericalem; nam Sacerdotium tunc solum requiritur, quando vel intra Sacramentum con-